

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio XXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

Sed unum est, quod miror in illo Tigurino Doctore, quòd non omninò nullum, sed vix ullum, atque adeò ali- quod saltem inter Pontificios agnoscat verum miraculum. In quo sanè fatetur, reformatam, ut ajunt, Ecclesiam supera- ri à Pontificijs; sed dum hos de prætti- gijs calumniosè incusat, noverit, oportet, non istos æquè habere communi- cationem cum dæmonijs, ac suos magi- stros Lutherum, Calvinum, & Zwin- glium in libris suis gloriantes de tali spirituum imundorum, seu talium, quos ignorarent albos fuisse, vel atros, fami- liaritate & assistentiâ.

DISSERTATIO XXV.

*Utrum adversus Peregrinationem
Einsidlensem Heideggerus validè contendat
ex illis Christi verbis: Ecce in Ere-
mo est, nè egredimini?*

I. **D**OCTOR iste Tigurinus suæ *Dissert.*
Synodal. S. finali ita concludit:
Coronidem nostram exornamus fide-
lissi-

lissimo & corde digno, quod instar omnium nobis erit, dulcissimi Salvatoris nostri celestinate, quod extat *Math.* 24. v. 27. *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus, aut illic, ne credite. Excitabuntur enim Christi, & Pseudo-Prophetae, & edent signa magna & miracula; ita ut seducant, si fieri possit, etiam electos. Ecce praedixi vobis. Itaque si dixerint vobis: Ecce in eremo est, ne egredimini. Ecce in conclavibus, ne credite.*

II. Callidè Heideggerus ut fucum faciat, loco vocis *in deserto* supposuit vocem *in Eremo*. Sed quaro ex ipso, an possit intra suum conclave, vel in deserto, sive in Eremo adorare Christum in Spiritu & veritate? Si neget, redarguendus erit à Paulo Apostolo 1. *Timoth.* 2. v. 8. ita differente. *Volo igitur adorare viros in omni loco levantes sanctas manus absque irâ, & disceptatione.* Si affirmet, cur succenset Pontificijs, quòd Christum adorent in Eremo, non quâ ibi *circumscriptivè & quantitativè* existentem, sed quâ in caelis ad dexteram Patris sedentem & reg-

regnantem? Sed ex suæ Dissertationis
 Synodalis §. 4. ar. 4. respondebit, Pon-
 tificios dicere, Christum eatenus esse
 magis in Eremo, seu Sacello Einsidensi,
 quòd *gratia meriti ipsius magis ibi sit, quàm
 alibi*. Hinc igitur rursus quæro ex ipso,
 an non, quando in Ecclesiâ Tigurinâ
 sumit cœnam Domini, seu panem Eu-
 charisticum Christi non quidem *reali-
 ter*, uti ait, contentivum, sed signifi-
 cativum & figurativum, tunc sentiat fidem
 Christi in se magis excitatam, atquè a-
 deò magis in spiritu & veritate adoret,
 quàm dum in cubilibus, nescio, quæ agit?
 Si neget, timeo sanè, ne totus ipsius
 spiritus resolvatur in concupiscentiam
 carnis. Si affirmet, denuò quæro ex ip-
 so, an illa excitatior erga Christum fi-
 des, nec non in spiritu & veritate ado-
 ratio sit per gratiam meriti Christi? Si
 neget, planum erit, totum ipsius spiri-
 tum resolvi in præsumptuosam super-
 biam. Si affirmet, iterum quæro ex ip-
 so, an non igitur gratia meriti Christi
 ma-

Siml p. 9. q. 10.
 B. J. L. p. 79.

magis vigeat in templo Tigurino, quàm
 in obscænis cubilibus? Si neget, non e-
 rit, cur frequentet suam Domini-
 cam Cœnam in templo, & videat,
 ne id coæquet obscænis cubilibus. Si
 affirmet, denuò quæro ex ipso, an
 non illa major gratiæ meritorum Chri-
 sti in uno præ obscænis cubilibus lo-
 co sacro efficiacia & præsentia impor-
 tet quandam virtuales Christi præsen-
 tiam? Si neget, tunc nè spiritum qui-
 dem & veritatem Christi tanquàm ejus
 virtutem & effectum habebit in se præ-
 sentem, nec adeò poterit adorare in spi-
 ritu & veritate. Si affirmet, rursus quæ-
 ro ex ipso, an credat, quòd Pontificij aliã,
 scilicet circumscriptivam, & quantita-
 tivam Christi præsentiam pro hîc &
 nunc asserant esse extra cœlum? Si af-
 firmet, apertam committit falsitatem,
 eosque Lutheranismi, ac sectæ Ubiqui-
 tatarum (quem tamen errorem Eutichia-
 ni a Zwinglianis olim damnatum,
 hodie in Ecclesiã Tigurinã volunt ha-
 bere

1000-1000-1000
 .et. 1. 2. 1. 5

bere adjaphorum, cujusque ad credendum licentiæ expositum) falsò redarguit. Si neget, in aperto erit, totam illius à se superius factæ argumentationis vim evanescere. En igitur Heidegger, quàm infirma sit tua argumentatio se habens instar stipulæ à vento raptæ.

III. Replicabit fortassis iste Reformatus Doctòr, quòd illa Christi Domini verba quadrent in ipsam Dedicacionem Sacelli Einsidensis, in quo tunc Christus *circumscriptivè & quantitativè* dicitur præsens fuisse. Sed quæro ex ipso, utrùm locum etiam habeat illa Christi sententia circa approbationem, quâ Dominus Paulo assistens *Act. 23.* dixit ipsi: *Constans esto, oportet te de me & Romæ testificari.* Item circa illam apparitionem, quâ Christus Dominus eidem Paulo Damascum proficiscenti realiter & circumscriptivè *Act. 9. & 1. Cor. 15.* præsens fuit? Nunquid enim tunc verè dicere licuit, hîc in castris, in quibus Paulus custodiebatur

batur, & illic in aere proximo terræ, in quam prostratus fuit Paulus, est Christus? Cur igitur absque ullo distortorum Christi verborum præjudicio, non liceat dicere, Christum realiter *circumscriptivè* sub Dedicatione Einsidensis Sacelli fuisse in hoc præsentem? Certè nimis clarum est, illa Christi Domini verba loqui de Pseudo-Christis, & Pseudo-Prophetis. At sacra scriptura de apparitionibus Paulo factis, & vox cœlestis legitimè probata de Sacelli Einsidensis Divinâ Consecratione probant, Christum verum Deum de Deo vero secundum Humanitatem fuisse *corporaliter* & *quantitivè* præsentem locis terrestribus. Ergo illa Christi Domini verba non procedunt de prædictis Christi apparitionibus, sed uti sacer textus clare loquitur, de Pseudo-Christis, quorum nomine Sanctus Augustinus *Epist. 80. ad Hesich.* intelligit hæresiarchas. Sed quid de his dicam? Nonne Zwinglius *Epicher. De Can. Missæ.* asserendo, A-

posto.

postolos per indulgentiam infirmis quibusdam permisisse pro mortuis orare, ex hoc se fecit Apostolorum censorem? Nonne Apostolorum censuram sibi arrogare, est se comparare Christo? De quo igitur illa Christi Domini sententia loquatur, te ipsum Heideggere, censorem constituo. Nè tamen eam tetorquere possit contra Sacellum Einsidlense, iterum, iterumque repeto, illam Christi Domini sententiam non procedere de veris Christi apparitionibus, sed de hypocritarum Christi personam, ejusque missionem fingentium fallacijs. At verò sub Sacelli Einsidlensis consecratione non Pseudo-Christum, sed Christum verum Deum fuisse præsentem, audi ex publico Tigurinae ac Bernensis Civitatum, caeterorumque Cantonum Helvetiorum per suos Legatos tunc Tiguri præsentium Anno Domini 1466. in festo Sancti Georgij sigillato Instrumento, pro coronide hif-

ce annexo.

K

E X.